

Universitätsbibliothek Wuppertal

Epistolæ obscurorum virorum

cvm inlvstrantibvs adversariisqve scriptis

Hutten, Ulrich von

Lipsiæ, 1870

(Inscriptio operis)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1009](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1009)

versus

- 1 EPISTOLÆ OBSCVRORVM VIRORVM] Inscriptio aperte in contrarium eius composita est, sub qua anno 1514. prodierant 'Clarorum virorum epistolæ' ad Reuchlinum missæ (cf. supra pagg. 1. 81. n. xv.), unde falsa est Germanica adpellatio *Dunkelmänner*, falsissima autem *Finsterlinge* (cf. p. 33.): nam quamvis Obscuroi nostri eius hominum generis fuerint, quod nos *Obscuranten* vocamus, tamen non hoc, sed ignobilitatem famæque obscuritatem significat illa inscriptio. Ita alteram quoque Clarorum virorum epistolarum editionem, quam quasi replicationem utriusque Epistolarum O. V. syllogæ Reuchlinistæ esse voluerunt, 'Illustrium virorum' inscripserunt (p. 108. n. xxxviii.). Ceterum de inscriptione præter ea quæ in his ipsis epistolis, imprimis II. 1. 28. 36., disputantur, præcipue cf. epistolas Hutteni ad Crocum (vid. supra p. 140.), Angsti ad Erasmum (p. 140.), Glareani ad Zwinglium (p. 141.), Mori ad Erasmum (p. 141.), Behaimi ad Pircheimerum (p. 142.), Pircheimeri ad Huttenum (p. 142.), Erasmi ad Cæsarium (p. 143. 146.), Erasmi ad Lipsium (p. 156.), tum Menii ad apologiam Croti responsionis (p. 156.) §§ 16. sqq., item Leonis PP. X. condemnatorium breve (Lamentatt. O. V. p. 335. sq.) cum Pepericorni defensione (ed. n. pag. 159.) et Ortvisini Lamentt. O. V. passim, præcipue p. 362. sq. 394. sq. et eiusd. epist. apologet. p. 396. sqq. — De adpellatione 'Epistolæ' cf. quæ Ind. biogr. (p. 417.) art. 'Modus dictandi, epistolandi' dedimus.
- 2...4 ad ven. vir. ... docentem] In Arnoldi de Tungris Articulis a. 1512. publicatis (vid. supra p. 78. n. xi.) Ortvinus Gratius adpellatur 'bonarum artium professor Oratoream poeticamque Colonie publice docens', et Prenotamenta a. 1514. Colonie edita (p. 81. n. xiiii.), quibus maxime sibi meruit, ut Reuchlinistæ Obscuros viros litteras suas plerasque fere omnes ad ipsum scribere voluerint (cf. Ind. biogr. art. Gratius, p. 383.), hoc habent exordium 'Ortwinus Gratius liberaliū disciplinaꝝ magister Christi sacerdos : in alma vniuersitate Coloniensi bonas lras publice docēs'.
- 5 variis et locis et temporibus missæ] 'variis temporibus missæ' habet inscriptio Clarorum viror. epp. (pag. 81. n. xv.), 'diversis temporibus missæ' inscriptio Illustrium viror. epp. (p. 108. n. xxxviii.)

[VOLVMEN I.]

De divisione operis in duo volumina cf. quod infra ad pag. 181. adnotatum est.

Pag. 3. EPISTOLA 1. THOMAS LANGSCHNEYDERIVS ORTVINO.

- 1 Nos singulas utriusque syllogæ sive voluminis epistolas numeris distinximus, quod in prioribus exemplis non factum est. — Hæc prima ea epistula est, de qua Erasmus Spongiæ § 92. (Hutt. Opp. II. p. 277.) 'nactus eram' scripsit 'unam epistolam manu descriptam de convivio magistrorum, quæ nihil haberet præter innoxium iocum, et ferebatur Hutteni. hæc mihi maximæ voluptati fuit ac toties inter amicos lecta est, ut propemodum hæreret memoriæ' et q. s.